DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.

Academiae Edinburgenae Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HUGO DUGGAN,

HIBERNUS;

SOC. HIBERN. MED. SOC. EXTR.

NEC NON,

SOC. ANAT. ET CHIRURG. GLASG. S. H.

Aggrediar, non tam proficiendi ſpe, quam experiendi voluntate.

Cic. Orat. ad Brut.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3196901x

Avunculo cariſſimo,

TIMOTHEO MOYNIHAN

de RATHBEG,

in Præfectura Kerrienſi,

Armigero;

propter

multa beneficia

et

mònita amiciſſima,

Has Studiorum Primitias,

grato animo,

D. D. Cque

HUGO DUGGAN.

RICCARDO AULDWORTH

de NEWMARKET,

in Præfectura Corcagienſi,

Armigero,

virtutibus ornato

et

integritate morum inſigni,

Hoc

exiguum quidem ſed ſincerum

grati animi

monimentum,

offert

AUCTOR.

CORRIGENDA.

Pag. 27.	lin.	3.	*pro*	idem	*lege*	eadem
—— 30.	——	2.	——	doze	——	doſe
—— 36.	——	2.	——	conſet	——	cenſet

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Rheumatiſmo Acuto.

RHEUMATISMUS, licèt mortem rarò profectò afferat, tamen, quippe cùm, dum adeſt, ægrotum graviſſimis doloribus excruciet, et interdum diu maneat, ſibi medicorum attentionem meritiſſimò vindicat.

In frigidis regionibus, ubi *diatheſis phlogiſtica* propterea magis valet, quòd frigus cor-

 pus

pus roborat, quòdque incolæ, majore ex parte, carnibus liquoribuſque meracioribus victitant; quàm in calidioribus, ubi homines rariùs ſunt corpore repleti, minùſque in morbos inflammationem habentes proclives ſunt, multò frequentiùs occurrit.

Quinetiam rheumatiſmus verno, quàm aliis, tempore homines ſæpius inceſſit; partim quia, cœlo tum in primis lubrico, calor vernus corpus frigoribus hiemalibus conſtrictum magnopere incitat, idemque frigore humidulo quidem affici aptius reddit. Ob viciſſitudines caloris et frigoris, autumno quoque invadit, ſed rariùs.

Cauſæ, quibus efficitur hic morbus, ſunt frigus humido jam corpori admotum, vel humor jam frigido, vel corpori priùs ſicco hæc utraque ſimul.

Sexum profectò utrumque, muliebrem autem ſæpius, rheumatiſmus adoritur; omne temperamentum, ſed, præ cæteris, ſanguineum. Juniores viribus etiamnum ſuperbientes,

tes, quibuſque, ob ætatem, integer eſt ſanguis et corpus integrum, propenſiùs inceſſit; teneros infantes atque ætate provectiores ſeneſque, ægriùs.

Otio et rebus ſecundis luxuriantes ſæpius multò invadit, quàm exercitatos, qui laborando et ſudando famem tolerant; qui congræcando poti, antelucanis horis invitam Venerem temerè inſtimulant, quàm qui volentem ſolicitantemve ſobriùs, temperatiùs, caſtiùſque colunt; qui in literas intenti, intempeſtiva nocte lucubrantur et expalleſcunt, quàm qui ex tempeſtivo et recreante ſomno primo mane experrecti, foràs prodeunt, quò rubeſcentem Auroram, ſolemve naſcentem, variamque cœli pulchritudinem, oculis contemplentur.

Rariùs rheumatiſmo laborant homines iis anni temporibus, quibus, ſive ſol extorreat agros, ſive hi frigore obrigeant, tempeſtas ſeſe æquabiliùs atque conſtantiùs habet; ideoque,

hieme

hieme et æſtate, hoc morbo plerumque, ex toto, vacant.

Biformem morbum eſſe rheumatiſmum, *acutum* modò, modò *vetuſtum*, omnes inter medicos convenit. De *illo*, acuto nempe, *hoc* integro relicto, fuſiùs diſputare, apud animum meum ſtatui.

Rheumatiſmus acutus inopinantem hominem repentinò interdum invadit. Quas, præ cæteris, afficit partes, eæ ſunt commiſſuræ majores, genua nempe, coxendix, et humeri. Quoties repentè incipit, æger pòſt paulò horreſcit, rigeſcit, caleſcit, inquietatur admodum, ſitit, cæteriſque febris deinceps ſignis afficitur. Aliàs, ſed rariſſimè, præmiſſa febris rheumatiſmum artus invaſurum ſignificat.

Dolores, quibus cruciantur rheumatici, perſæpe ob uno artu, intermediis muſculis, ad alium migrant; et, muſculis, qui artum affectum movent, in contractiones citis, ſemper ingraveſcunt.

Artus

Artus correpti, haud multò pòſt, tumeſcunt multùm et rubeſcunt; atque, contrectante aliquo vel caſu tangente, admodum dolent. Intumeſcentibus artubus, dolores ſæpe levantur. Dolet ſæpe unus tantummodo artus; frequentiùs autem complures ſimul. Interdiu dolores aliquantiſper plerumque remittunt; noctu verò, dum in lecto cubat æger, calore uſque eò exacerbantur, ut ferè intolerabiles fiant.

Per totum profectò morbi curſum, niſi cùm veſpere exacerbeſcunt febris et dolores, urina ſubrubra eſt. Ineunte quidem morbo, nulla ſubſidentia habet; ſed, morbo progrediente et febre aliquanto remiſſiore, ſedimentum furfuroſum deponit. Verùm enimvero raro, hoc depoſito, ſolvitur morbus. "In magna," ait Storkius, "dolorum exacerbatione, urina "plerumque prodiit tenuis, pallida, quando-"que *ſtrangurioſa;* decreſcente autem dolo-"re, urina primò prodiens erat ruſa, ſecun-"da verò turbida; et mox fœtuit, ac

"poſuit

" poſuit ſedimentum *furfuraceum* ſubalbi-
" dum *."

Rheumatiſmus ab aliis morbis inflammationem habentibus multùm differt; in hoc autem potiſſimùm, quòd in ſuppurationem rariſſimè deſinit. Inciſis cadaveribus eorum, qui, dum hoc morbo laborabant, mortui ſunt, liquor limpidus et tenax, in *tendinum* vaginas effuſus, ab introſpicientibus conſpicitur.

Ballonius conſpicatus eſt in corpore hominis, cui ſcapulæ humerique doloribus rheumaticis ſæpe affecta ſunt, omnes nervos et ligamenta muſculorum, qui ad humeros pertinent, ſero tenace oblita.

Huic ſimilia refert Drelincurtius: in cadavere enim hominis, qui hoc morbo mortuus eſt, reperit ſupra muſculos concretam materiam glutinoſam, quæ tres nummos aureos, alii alium, ſuperimpoſitos craſſitie æquabat.

Quinetiam Tissotius, dum, quibus modis finiri poſſit rheumatiſmus, refert, ait abſceſſum, cujus

* Vid. *Ann. Medic. ſecund.* p. 121.

cujus ipſe complura vidit exempla, in parte affecta vel in vicinis partibus interdum formari. In rheumatici cujuſdam femore abſceſſus provenit, qui a chirurgo inciſus magnam copiam puris effudit, et etiam inopinanti ægro mortem attulit. Ad hoc, ſimilia exempla abſceſſuum, qui inflammationi rheumaticæ ſupervenerint, memorata habet Aretæus.

His cognitis, rheumatiſmum minimè tam raro, quàm putant nonnulli medici, in abſceſſum inclinare, concludere æquum videtur.

Sanguis e vena alicujus cum hoc morbo conflictati miſſus, *coriaceam* albam, haud ſecus ac cùm alii morbi inflammationem habentes adſint, pelliculam induit.

Rheumatiſmus ſæpe complures hebdomadas perſtat; et interdum, ut in exemplo quod memoratum habet Homius, per annum demidium. Febris ardens rariſſimè diutius tribus hebdomadis, raro tamdiu, producitur. Decedente

dente febre, dolores commiſſurarum plerumque remittunt, rariùſque ab uno in alium artum migrant.

Haud multò pòſt acceſſionem morbi, ſudor profectò emanat; ſed raró copioſus eſt, neque, eo manante, levantur dolores, aut ſolvitur morbus.

Antiqui, licèt in iis, quæ de medicina poſteris prodiderunt, verbum, *rheumatiſmus*, raró quidem occurrat, tamen morbum, cui nomini eſt, probè intellexiſſe, et ſub nomine, *arthritide*, deſcripſiſſe videntur. " Communis," ait Aretæus, " omnium articulorum dolor eſt " arthritis; ſed pedum dolorem *podagram* " vocamus, coxendicum *iſchiada*, manuum ve-" rò *chiragram* *."

Medicis quidem antè innotuit, quàm florebat Aretæus. Cælius enim Aurelianus, auctor qui ſcripſit ante Galenum, injecta dolorum, quibus laborare ſolent articuli, mentione,

* Vid. Aret. *De Cauſ. et Sign. Morbor. Diuturn.* lib. ii. cap. xii. p. 66.

tione ait: “ Sed de his nominibus, quæ loco-
“ rum cauſa diſcreta eſſe videntur, unius ta-
“ men virtutis eſſe intelliguntur, in curatio-
“ nibus certandum non eſt. Sunt enim ha-
“ rum *paſſionum* cauſæ antecedentes variæ,
“ ut vinolentia, frigus profundum, *cruditatio*,
“ libido venerea, labor immodicus, vel repen-
“ tina deſertio ſolitæ exercitationis *.”

Botallus, auctor Gallicus, hunc morbum primus luculenter tractavit. Ballonius, Gallicus quoque medicus, qui initio ſæculi decimi ſexti florebat, ei nomen, *rheumatiſmum*, indidit, et podagrâ et *catarrho* accuratè dignovit.

Sydenhamus, auctor quidem ſagax et præclarus, de rheumatiſmo longè, quàm priores medici, luculentiùs ſcripſit. Acutum et vetuſtum clariſſimè diſcrevit; varioſque indicavit

B modos

* Vid. Cael. Aurel. *Morbor. Chronic.* lib. v. cap. ii. p. 557.

modos, quibus, uterque ſuo, curentur *. Ut, quod ad rheumatiſmi curationem attinet, Sydenhamus omnibus anteceſſoribus antecelluit, ſic Sydenhamo ipſi antêit Cullenus. Hic enim auctor præclarus, dum ab eo, de cauſa proxima, diſſeritur, rem profectò lucidè expoſuit, quæ antea peritiſſimos quidem auctores latuerat.

MORBI DEFINITIO.

" Morbus ab externa, et plerumque evi-
" dente cauſa; pyrexia; dolor circa articulos,
" muſculorum tractum ſequens, genua et re-
" liquos majores, potius quàm pedum vel ma-
" nuum articulos, infeſtans, calore externo
" auctus †."

In

* Vid. Sydenham. cap. v. ſect. 9.

† Vid. *Synop. Noſol. Method.* gen. 22.

In hanc definitionem, pro verbis, "*plerum-*
"*que evidente cauſa,*" fortaſſe hæc, "*plerum-*
"*que frigore,*" aptiùs inſerantur.

DIAGNOSIS.

Præcipui morbi, quibus cum Rheumatiſmo ulla intercedit, ſimilitudo, ſunt Podagra, *Syphilis*, et *Scorbutus;* a quibus internoſci poteſt ad ſequentia animum advertendo.

Rheumatiſmus frigore concitatur; *podagra*, ut obſervat Cullenus, eſt morbus hæreditarius, qui ab evidente nulla cauſa externa oritur: juniores et pleniores, qui trigeſimum quintum ætatis annum nondum attigerint, ille morbus invadit; hic provectiores ætate ſeneſque, in primis luxu confectos: huic mares potiſſimùm patent; illi fœminæ: rheumaticus artubus plerumque majoribus, genibus nempe, coxendice, et cubitis laborat; minoribus contrà, manuum nimirum et pedum digitorum, arthri-

ticus:

ticus: rheumatiſmo ſæviente, dolor ſæpe ab una commiſſura ad aliam vagatur; podagra eandem pertinaciùs occupat: in illo morbo, dolorem plerumque antegreditur febris; in hoc, febrem dolor: podagrico dolor, et ventriculi aut aliorum viſcerum affectiones, ſeſe viciſſim excipiunt; rheumatico non ita: acceſſio podagræ interdum nimio cibo aut potu inducitur; rheumatiſmi, aliis cauſis: dolores, quibus inſignitur ille morbus, acerbiores ſunt, et profundiùs ſiti, ligamenta, *perioſteum*, et ipſa fortaſſe oſſa afficiunt; dum ii, quibus hic, leviores, et muſculos tantummodo atque *tendines* infeſtant: podagra rariſſimè inopes inceſſit, eoſve, qualeſcunque ſint, qui labore quotidiano famem tolerant; contra ea, rheumatiſmus, ſi validæ cauſæ excitantes admoveantur, homines, qualicunque ſint ordine, et quomodocunque vitam degant, nullo habito diſcrimine, ſæpenumero corripit: paucos denique dies ante acceſſum podagræ, functiones ventriculi, ſecus ac in rheumatiſmo accidit, valde perturbantur;

bantur; appetitus minuitur; inflatio, acidi liquoris ructus, aliaque cruditatis indicia, hominem infeſtum habent. De his ſignis, per hebdomadam, aut etiam diutius, homo priùs conqueritur, quàm podagra eum invadit.

Rheumatiſmus quoque et *ſyphilis*, habita eorum quæ dicturi ſumus ratione, inter ſe diſtingui poſſunt. In hoc enim morbo, dolores profundiùs ſiti, oſſa et *perioſteum* afficiunt; in illo ſentiuntur in muſculis tantummodo et *tendinibus*. Quinetiam dolores *ſyphilitici* plerumque partes oſſium medias et duriores, tibiæ, nempe, *fibulæ*, et cranii oſſium, obſident; rheumatici, plerumque ad artus referuntur. Ad hoc, alicui cum rheumatiſmo conflictanti artus affecti, contrectante aliquo vel tantillùm comprimente, graviſſimè dolent; id profectò, quod *ſyphili* implicato nunquam accidit. Si denique appareant bubones; "ulcera tonſillarum; cutis, præſertim ad marginem *capillitii*, "papulæ *corymboſæ*, in cruſtas, et in ulcera "cruſtoſa abeuntes;" tunc morbum *luem venercam*

neream eſſe, concludere oportet: Eodem autem tempore, quò, quid ægro ſit rei, meliùs poſſimus cognoſcere, quæritandum eſt, utrùm fuerit, necne, contagioni venereæ objectus.

Tametſi doloribus *ſcorbuticis* ſimilitudo quædam eſt cum *ſyphiliticis;* tamen, hi ab illis, facilè ſecerni poſſunt, ſigna, quæ utroſque comitantur, animadvertendo. Eodem tempore, quo moleſtum aliquem habent dolores *ſcorbutici*, arteriæ remiſsè et inæqualiter micant; putrent gingivæ, ſpongioſæ fiunt, et preſſæ ſanguinem profundunt; fœtet anima; cutis maculis interdum multicoloribus variatur, ſed plerumque liveſcit; urina, denique, colore varia eſt, et, mirum in modum, putret.

Hìc loci, a re noſtra minimè alienum erit oſtendere, quibus notis acutus rheumatiſmus vetuſto dignoſcatur. Si febris non adſit; ſi artus affecti frigidi ſint, et rigidi; ſi dolores calore leniantur, ſed frigore ingraveſcant: vetuſtum eſſe rheumatiſmum concludere liceat.

CAU-

CAUSÆ REMOTIORES.

Interdum, ut jam ſuprà memoravimus, neque ætati, neque temperamento, neque ſexui quidem, a rheumatiſmo parcitur; ſed, præ cæteris, ſanguine nimis repletos inceſſit. Cùm ita ſit, quæcunque homines ſanguine nimis repletos faciunt, ea ſunt, quæ illos rheumatiſmo opportunos reddunt. Hujus generis ſunt diæta nimis lauta et nutriens; ignavia; vita ſedentaria; ſomnus nimius; ſolitæ exinanitiones, ſanguinis potiſſimùm et cutis exhalationis, ſubitò ſuppreſſæ. Ad idem genus utique pertinent medicamenta, ex iis quæ corpus roborant, in longum tempus continenter adhibita.

Argentum vivum, ſi in nimio ejus uſu perſeveretur, non modò corpus huic morbo obnoxium efficit, ſed fortaſſe ipſum interdum morbum concitat. Inter omnes enim convenit, argentum vivum, haud ſecus ac plumbum, acer-

biſſimos

biſſimos muſculorum dolores haud rarò afferre, etiamſi his non ſemper ſuperveniant inflammatio et febris.

Ex cauſis verò, quæ rheumatiſmum concitant, præcipuæ ſunt frigus et humor corpori, potiſſimùm nimis calefacto, admota. Cur eos, qui regiones ad polos vergentes incolunt, ſæpius afficiat hic morbus, ratio eſt, quòd, ob conſtitutionem aëris, et quia carnibus plùs victitant, validiores ſunt et pleniores.

CAUSA PROXIMA.

Res nulla, quam tractat medicina, obſcurior eſt, quàm cauſa *proxima* morborum. Quæ qualiſve ſit ea hujus morbi, nondum ſanè inter medicos convenit. Hi ſpecialem fluidorum acrimoniam eſſe cenſent; illi, eorundem lentorem. Has verò opiniones, ex toto, labefactavit clariſſimus CULLENUS; qui cenſet, eſſe extrema corporis ſuperficiei vaſcula, præter

ſolitum conſtricta, dum eodem tempore arteriarum renixus, per totum curſum intenditur. Rebus ita ſemet habentibus, impetus ſanguinis augetur, dum eodem tempore, quò minùs hic expeditè profluat, obſiſtitur. Hinc, ſecundum Cullenum, efficiuntur inflammatio et dolor.

De hac re differens, his verbis utitur: "The "reſiſtance formed excites the *vis medicatrix* "to a further increaſe of the impetus of the "blood; and, to ſupport this, a cold ſtage a- "riſes, a ſpaſm is formed, and a pyrexia and "phlogiſtic diatheſis are produced in the "whole ſyſtem *." Idem auctor, in opere hìc citato, ait: "But there ſeems to be alſo "in the caſe of rheumatiſm a peculiar affec- "tion of the fibres of the muſcles. Theſe fi- "bres ſeem to be under ſome degree of rigi- "dity, and therefore leſs eaſily admit of mo- "tion, and are pained upon the exertion of "it †."

C RATIO

* Vid. Cullen. *Firſt Lines*, § CCCCLVIII.

† Ibid. § CCCCLIX.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

Ruboris, tumoris et doloris qui rheumatiſmum inſigniunt, rationem reddere, minimè arduum erit; ſi in memoria teneamus, ſanguinem, ne expeditè circumfluat, ſpaſmo extremorum vaſculorum impediri, et artus, quàm aliæ membrorum partes, tela celluloſa multò profectò minùs obtegi. Eodem tempore, quo conſtringuntur extrema vaſcula, impetus ſanguinis uſque eò intenditur, ut fieri non poſſit, quin arteriolæ exhalantes, præter ſolitum dilatatæ, rubro ſanguine in eas propulſo impleantur et turgeſcant, atque fortaſſe partes hujus tenuiores ſolitò uberiùs effundant. Hinc efficiuntur tumor, dolor et rubor. Muſculorum ſimul fibræ, præter ordinem, rigidæ eſſe videntur; et profectò veriſimile eſt, hanc rigiditatem in cauſa eſſe, cur, per eos, dolores

tam

tam procliviter et ſæpe, ab uno artu ad alium, migrent.

PROGNOSIS.

Etiamſi frequentiſſimus morbus ſit rheumatiſmus, rariſſimè tamen lethalis eſt. Bonum eſt, ſi ægrotus ſit juvenis et validus; ſi morbus nunquam anteà eum vexaverit; ſi ſigna febris ſint levia; ſi urina deponat ſedimentum furfuroſum; ſi abſque medicamentis, ex iis quæ calefaciunt, totum corpus ſponte inſudet; ſi papulis effloreſcat cutis; ſi alvi aut etiam ſanguinis profluvium ſponte ſupervenerit; et, denique, ſi æger cibum appetat, aſſumptumque concoquat.

Contra ea, malum eſt, ubi rheumaticus eſt ſenex, et hoc aliiſve morbis prægreſſis magnopere infirmatus; ubi unus tantummodo artus affectus vehementiſſimè dolet; et, demum, ubi morbus nonnulla ex viſceribus adoritur.

Finitur

Finitur rheumatiſmus plerumque reſolutione, perrarò ſuppuratione, gangræna aut ſcirrho ferè nunquam. Ipſe autem ego vidi unum hujus morbi exemplum, ubi artûs inflammatio ſuppuratione finita eſt. Æger, cui hoc accidit, juvenis erat corporis alioquin ſani; qui, injuſſu chirurgi, parti affectæ fomenta et cataplaſmata admoverat.

Hoc exemplo, et Storkii auctoritate adductus ſum, ut credam, rheumatiſmum minimè tam rarò, quàm nonnulli exiſtimant, ſuppuratione finiri. Auctor enim dictus, et alii quoque, tumorum in hoc morbo provenientium mentionem injecerunt, qui medicamentis diſcutientibus reſolvi non poterant; qui verò, inciſione in eos facta, magnam puris copiam profuderunt.

METHODUS MEDENDI.

Nobis non mirandum eſt, antiquos, quippe qui, in ſumma ignorantia cauſarum, quibus efficiuntur morbi, perſæpe verſarentur, infelices haud rarò medendi rationes propoſuiſſe. Exiſtimârunt, podagram, *ſcorbutum* et rheumatiſmum ex variis humoribus pendere; et diverſas profectò curandi rationes, prout hunc humorem dominari opinarentur illumve, ſecuti ſunt. Mirum hujus exemplum Trallianus enarrat hiſce verbis: "Si humor, qui "articulis influit, acris et bilioſus eſſe, ex in-"diciis, quæ commemoravimus, tibi appa-"reat, liquet, ſanguinis *vacuationem* adhiben-"dum non eſſe, ſed medicamento potius bi-"lem ducente utendum *."

Celso mos erat, fovere partes rheumatiſmo affectas calefacientibus, et iis cucurbitulas cruentas

* Vid. lib. XI. cap. 1.

cruentas admovere. Galenus medicamenta ex iis præſcribere ſolebat, quæ roborant; ſed putabat, neceſſarium eſſe interdum ſanguinem priùs mittere, quàm ad hæc confugit.

Hippocrates, et alii antiqui exiſtimârunt, cauteria ad curandum rheumatiſmum multùm potuiſſe; ſed eorum uſus jam olim in deſuetudinem abivit.

Sydenhamus omnem ferè ſpem in ſanguinis miſſione poſuit. Ineuntem morbum nullo alio modo curandum eſſe cenſuit. Simul atque arceſſitus ægrum viſit, ſanguinem mittendum curavit uſque ad decem aut duodecim uncias, et die poſtero ad tantundem; et etiam poſt unum, alterum, aut tertium diem, denuo tali eliciendum quantitate, qualem res poſtularent. Initio morbi, dum hoc modo ſanguinem iterum detraxit iterumque, a catharticis, ex toto, abſtinuit; et præcepit, ut interea æger imbecillo cibo viveret, et cereviſiam biberet tenuem; atque ut diebus, quibus ſanguis non miſſus eſt, *clyſmata* ex lacte, per anum, injicerentur.

His

His per complures dies factis, curavit manè et veſperè aſſumendum catharticum lene ex *diacodio ;* deinde ægro permiſit, ut in priſtinam vivendi rationem gradatim rediret.

Clariſſimus Boerhavius ad hunc morbum animum haud multùm advertit, priuſquam ipſe, ætate jam provectus, eo affectus eſt ; et etiam tunc de eo multò ſanè opinione pauciora dixit. Diæta ex materia imbecilla conſtans, quies, et *veſicatoria*, ea profectò ſunt medicamenta, quæ contra rheumatiſmum plurimùm pollere opinatus eſt. Pringelius, Eques, ſanguinis miſſionem rheumatiſmo laborantibus multùm proficere exiſtimavit. Medicus ille ſagax, ſanguinem iterum mittendum curabat iterumque, prout vires ægri ſufferre poſſent, et ſigna morbi poſtularent. Si rheumatiſmus unam tantummodo corporis partem afficeret, et febris eſſet lenis, ad alia remedia decurrebat. Ubi, poſtquam febris remiſerat, dolores et tumores artuum etiamnum

remanebant,

remanebant, ei mos erat præcipere, ut parti affectæ magna hirudinum vis admoveretur.

Brocklesbeius multus eſt in laudando efficaciam, qua in rheumatiſmum pollet nitrum. Morton monet ſanguinem ſemel iterumve mittere, et ſtomachum leni vomitorio evacuare. Cùm primùm remiſiſſet febris, frequentes *cinchonæ* corticis doſes, in quibus aliquid opii inerat, adhibere ſolebat.

Rationibus medendi quorundam auctorum, qui fide et eruditione præclari erant, quique, temporibus diverſis regionibuſque, floruerunt, perbreviter enumeratis; nunc animum intendamus ad eam rationem medendi, quæ, Culleno aliiſque præclaris medicis approbantibus, nunc invalet.

Quum, dum urget rheumatiſmus acutus, corpori inſit *diatheſis phlogiſtica*, ad ſanguinis detractionem medici haud immeritò decurrerunt. Verùm tamen, quin nonnulli, imprimis Sydenhamus, ſanguinem nimium mittendum curaverint, nemini in dubio eſſe

poteſt.

poteſt. Hic auctor, qui a ſanguine miſſo ſummum, contra rheumatiſmum, auxilium expectare ſolebat, morbi cauſam ex vaſis ſanguiferis unà cum ſanguine detracto elici poſſe, perperam exiſtimavit. Hic verò error medicum, tam accuratum naturæ obſervatorem, ſemper effugere non potuit. Sub finem enim vitæ, experientia propria doctus, quantùm rheumatiſmo implicitis noceret ſanguis nimia quantitate detractus, perſpexit; et confeſſus eſt, magnam vitalis hujus laticis jacturam, ad tollendum morbum, minimè eſſe neceſſariam.

Conſtat hominum, cum hoc morbo conflictantium, corporibus ineſſe *diatheſin phlogiſticam*, et ſimul ſpaſmum extremorum vaſorum. Cùm ita ſit, qualis ea tollat medendi ratio, talis inſtituenda eſt. Primùm itaque minuendus eſt

RENIXUS CORDIS ET ARTERIARUM.

Hoc multis modis fieri poteſt, ſed potiſſimùm miſſione ſanguinis. Si morbus ſit recens, febris magna, et æger juvenis et corpore validus, ſanguis, ad duodecim circiter aut quatuordecim uncias, bis aut ſæpius per decurſum morbi eliciendus eſt. Verùm enimvero, quantum ſanguinis mittendum ſit, certò ſtatuere non poſſumus. Hoc autem, aliqua exparte, poſſumus judicare, animadvertendo, qualis adſit gradus *diatheſis phlogiſticæ;* quamdiu perſtiterit morbus; quænam ſit ætas ægri; plenuſne corpore robuſtuſque ſit, necne; utrùm necne, ſanguinis jacturam ſufferre conſueverit; quales effectus ſanguis jam detractus ediderit, qualiſque ejus ſit ſpecies; quidnam ſit tempus anni; et, demum quales regiones æger habitet.

Sanguis,

Sanguis, ad quatuordecim aut ſexdecim uncias, uno tempore miſſus, ſigna febris multò magis levat, quàm idem, aut major quidem quantitas, diverſis temporibus; quia, ſanguine ita miſſo, vaſa, quæ ſanguinem vehunt, ſubitò reſolvuntur, et ſemet circumfluenti liquori illico accommodare non poſſunt. Eandem ob cauſam, ſanguis pleno rivo et expedito elicitus, quàm languido et tardo miſſus, multò efficacior eſt.

Licèt autem miſſus ſanguis, ad ſævitiam hujus morbi levandam, multùm polleat; tamen curandum eſt medico, ne tantum ejus detrahendum curet, quantum ægri vires nimiùm exhauriat: mors enim quorundam, qui rheumatiſmo laborârunt, nimiæ vitalis hujus laticis jacturæ tribuenda videtur. Sanguinis autem ſpecie non ſemper dirigendi ſumus. Quamvis enim, ut in aliis morbis inflammationem habentibus, ſanguis elicitus pelliculam albidam oſtendat; tamen, quippe cùm hæc ſit ſignum ſæpe fallax, minimè iterum eliciendus,

ciendus, niſi ſigna minùs ambigua, validi nempe arteriarum ictus, eliciendum indicent. Si arteriæ jam conciderint, tum, utcunque graves ſint dolores, ſanguinem e brachio detrahendo abſtinendum eſt. Interdum profectò, quantâ maximâ ſufferre poteſt æger ſanguinis copiâ e brachio detractâ, doloribus autem nondum optatò levatis, nonnihil ex parte affecta, cucurbitulis cruentis admotis, vel, quod profectò, ut exiſtimant plurimi, multo melius eſt, hirudinibus quæ inflammatum artum minùs irritant, elici poteſt.

Urgente rheumatiſmo, carnibus, atque liquoribus omnibus meracioribus corpuſque incitantibus abſtinendum eſt; et diæta ex materia imbecilla, in primis frugibus farraceis, lacte, liquoribuſque dilutioribus victitandum. Eodem tempore omnia irritamenta ſedulò vitanda ſunt; calor potiſſimùm, motus, atque muſculorum qui artus laborantes movent exercitatio. Ita quoque ponendum eſt corpus, ut quàm pauciſſimi muſculi intendantur.

Pertur-

Perturbationes omnes, eæ in primis quæ mentem excitant, vitandæ ſunt. Quinetiam eliminandæ ſunt quàm primùm e ventriculo cruditates, et ex inteſtinis fæces præter ſolitum retentæ; quippe quæ, corpus irritabile reddendo, morbum graviorem faciant.

Rheumatiſmo laborantibus multùm proficiunt medicamenta, ex iis quæ corpus refrigerant; utpote quæ impetum ſanguinis, et calorem corporis, inſigniter temperent. Ex his anteferenda ſunt acida nativa e frugibus parata, et ſales neutri. Poſterioris generis plurimùm, ut experimentis captis comperti ſunt Smithius aliique, pollet nitrum. Quin plurimùm poſſit, profectò non dubito; ſed, minimè adeo ubertim adhibendum eſſe, quàm ſuadet Brocklesbeius, cenſeo; quippe cùm, ut notat Cullenus, multus ejus uſus quædam ſecum incommoda afferat: "I could hardly," ait hic auctor, "or at leaſt ſeldom, find a "ſtomach that would bear half the quantity "of nitre that Dr Brocklesby ſeems to have

"employed;

" employed; and, in moſt caſes, I have been
" limited in the doze of nitre that I could exhibit*." Quindecim propè grana vel viginti nitri, ſecunda, tertia, vel quarta quaque hora, optato plerumque ſucceſſu adhiberi poſſunt; et interdum ſecundis avibus doſis paulatim augeri.

Camphora quoque multùm, contra rheumatiſmum, pollere dicitur. Ex enim experimentis, quæ ceperunt HOFFMANUS, BERGERUS, COLLINUS, HOMIUS et ALEXANDER, præclari medici omnes, conſtat, hoc medicamentum ictus arteriarum rariores reddere, et totum corpus refrigerare. Quod ſi magna quantitate adhibeatur, ſemper, alia velut medicamenta perquam efficacia, ægrum incommodo afficit.

Præter vim, qua pollet *camphora*, corpus refrigerandi, aliam utique poſſidet, ſomnificam nempe, qua rheumaticis multùm proficiat; eoque magis, quòd ab iis ad opium tutò confugi non poteſt. Quum verò quantitas *camphoræ*

* Vid. CULLEN. *Mater. Medic.* vol. ii. p. 343.

phoræ ad ſomnum conciliandum neceſſaria, adeo ſit magna, ut non omnibus conveniat; nonne quæri poteſt, utrùm cum opio conjuncta prodeſſet, necne, et tutò adhiberetur? Quod ad doſin attinet, a granis quatuor ter quotidie aſſumptis incipiendum eſt; et, uno quoque die, doſis duobus granis augenda, uſquequo ad quadraginta quotidie, vel etiam plura, perventum ſit. Quod ſi, ad dolorem mitigandum et ſomnum conciliandum præſcribatur, tum hora ſomni aſſumantur grana decem; et, niſi vetent ſigna quædam moleſta, doſis gradatim augenda.

Vomitoria, ſive ad vomitionem excitandam, ſive ad nauſeam, adhibita ſint, rheumaticis multum levaminis afferunt; quippe quia fluida ad extremum corpus, mirum in modum, evocant. In hunc quoque finem utiliter adhiberi poſſunt ſales quidam medii, atque medicamenta ex iis quæ diluunt, ſpaſmum ſolvunt, ſudoremve movent.

Sudor

Sudor elici poteſt multigenis medicamentis, variis nempe *ex antimonio* præparatis, ſalibus neutris, ſed præcipuè pulvere *ipecacuanhæ* compoſito, ad grana decem, ſecunda quaque hora adhibito, dum ſudorem elicuerit.

Quò ſudor proficiat, ſanguine ſemel ſæpiuſve miſſo, et alvo ſubducta vel mota, eliciendus eſt medicamentis, ex iis quæ corpus neque multùm incitant neque calefaciunt; a duodecim horis, uſque ad triginta, ægro interim quantùm poſſit inſomni, continuandus; elicitus, non frigore admoto repellendus; corpus, dum inſudat, pannis laneis circumvolvendum.

Sudore manante, liquores tepidi identidem, ſed initio parva tantummodo quantitate, bibendi ſunt; juſcula nempe dilutiora, aqua cocta ex ſalvia, ſerum lactis coacti, aliaque conſimilia. Si, aliis partibus ſudore humectatis, pedes et crura nondum inſudent, his admovendi ſunt vel lateres calefacti, vel utres aquâ tepidâ impleti, quò hinc quoque ſudor eliciatur. Satis enim experientia conſtat, quo

æquabiliùs,

æquabiliùs, ubique corporis, ſudor effluat, eò plùs profecturum eſſe.

Poſtquam ſatis diu ſudaverit æger, corpus ejus mantilibus calefactis quàm primùm exſiccandum eſt, deinde laneis calidis involvendum; atque ipſum ægrum domi complures dies eſſe oportet.

Siquando ſudor elicitus, ictus arteriarum neque rariores neque molliores reddat, ſed potiùs anxietatem, ſpirandi difficultatem, et dolorem capitis augeat; et ſi tenax admodum ſit: tum parum profuturum eſſe, ideoque medicamentis non ampliùs movendum, concludamus.

Licèt reſolutio ventris non tantum, ad *diatheſin phlogiſticam* minuendam, poſſit, quantum ſanguinis detractio, tamen multùm proficit; et, niſi motus ad deſidendum neceſſarii, quò minùs fiat, obſtent, identidem efficienda eſt. Si nobiſcum reputemus, quàm magnâ quantitate fluida detrahi poſſint ex corpore per arterias exhalantes excernenteſque ductus innumeros, quæ in inteſtina hiant; ſatis conſtabit,

purgationem, effuſionem ex his vaſis augendo, multùm ad minuendam plenitudinem corporis, idioque *diatheſin phlogiſticam*, pollere. Rheumatiſmo urgente, venter reſolvendus eſt medicamentis, ex iis quæ non multùm ſtimulant aut calefaciunt; quorum optima ſunt Sales Medii, Ecligma Sennæ, et conſimilia.

Cinchonæ cortex nuper, apud medicos nonnullos, multùm inclaruit; utpote medicamentum, quod rheumaticis inſigniter proficiat. Per curſum morbi, eſſe, temporibus interpoſitis, identidem optatò adhibitus dicitur. Verùm, etiamſi aſſumendum hunc corticem ſuadeant periti quidam medici; tamen ad eum non priùs decurrendum eſſe, quàm provenerit ſudor, lateritium quid in urina ſubſederit, et remiſerit febris, opinamur. Tum utiliter, fortaſſe, aſſumi poteſt, et quidem obſtare ne Acuto Rheumatiſmo ſuperveniat Longus.

Anodyna, niſi eodem tempore, quo dolorem levant, et ſomnum conciliant, ſudorem quoque moveant, rheumaticis plerumque no-

cent,

cent. Sydenhamus de hujuſmodi medicaminibus differens, hiſce verbis ait, "Quamobrem, utut ſæviat dolor, per omnem hujus "morbi decurſum, religiosè mihi ab his temperandum exiſtimo; modò mihi animo ſit, "curationem a ſanguinis miſſione ſolùm petere; cùm illorum uſu frigatur morbus, neque tam facilè venæſectioni cedat; quæ ideo, ob hæc medicamenta nimis officiosè "exhibita, ſæpius, quàm erat opus, celebranda."

Storkius quoque refert, opium hoc morbo laborantes malo afficere. Nonnulli enim, hoc medicamento aſſumpto, magno dolore capitis et ſomniis terrificis vexantur. Somnus, qui hinc conciliatur, non, ut naturalis, eos reficit. Poſtero die fatigati quaſi, et ſomniculoſi ſunt. Arteriarum quoque ictus, poſt uſum opii, multò, quàm naturaliter oportet, celeriores ſunt, inæqualiores et contractiores.

An, urgente Rheumatiſmo, aliquid auxilii a variis ex hydrargyro præparatis petendum, necne,

necne, ſit et expectandum, nondum inter medicos convenit. Nunquam, ut conſet DONALDUS MONRO proficit, niſi cum ægro inſit labes *ſyphilitica*.

Contrà, ROBERTUS HAMILTON, qui LINI REGIS, medicinam factitabat, certiores nos facit, *hydrargyrum muriatum mite*, ut ipſe experientiâ multorum annorum compertus eſt, plurimùm Rheumatiſmo laborantibus prodeſſe. Sanguine detracto, et alvo mota vel ſubducta, huic medico mos erat, dare ægrotis octava quaque vel duodecima hora, boli forma, *hydrargyrum muriatum mite* cum opio conjunctum. In ſingulis bolis inerant illud a grano uno uſque ad quinque, et hoc a quarta parte grani uſque ad granum, prout gradus inflammationis, et alia ſigna poſtularent.

Hydrargyrum verò, non modò non ſemper prodeſſe, ſed interdum admodum nocere, nobis propriâ experientiâ perſuaſum eſt. Rheumatico enim, cui, quò morbum tolleret, hoc medica-

medicamentum aſſumendum curaverat peritus medicus, tanta vis inflammationis ſupervenit, ut, quò hæc conquieſceret, ſanguinem ſemel elicere iterumque prorſus neceſſarium eſſet.

Quare, Hamiltone præſcribente, tantopere prodeſſet, ratio profectò in promptu eſt. Non enim priùs adhibendum curabat, quàm, ſanguine miſſo, alvoque cita vel ducta, *diatheſis* corporis *phlogiſtica* jam ſatis temperata erat. Quinetiam, ut cum opio, interdum etiam cum *tartaro emetico* et *camphora*, conjunctum aſſumeretur, præcipiebat ; et profectò minimè dubium eſt, quin, his auxiliantibus, plùs, quàm propriis tantummodo poteſt viribus, ad ſanguinem extrema verſus et ſudorem eliciendum polleat.

Quod ad *camphoram* ſpeciatim attinet, dilucidè experimentis a Lasonnio captis conſtat, hydrargyri, æquè ac aliorum medicamentorum incitantium, quibus admiſceatur, acrimoniam, mirum in modum, minuere. Cùm ita ſit, hydrargyrum cum ea conſociatum, ipſis iis in

morbis

morbis inflammationem habentibus multùm, ſaltemve aliquantùm, proficiat, in quibus per ſe datum multùm noceret.

His cognitis, HAMILTONEM hydrargyro ſoli proſperos attribuiſſe effectus, quos miſſio ſanguinis, reſolutio ventris, medicamentaque quæ cum eo conſociata adhibere ſolebat, magna ex parte ediderint, prorſus exiſtimamus.

Medicamenta parti dolenti admota, haud multùm prodeſſe, immo interdum nocere, videntur. Fomenta enim initio potius augent dolores, quàm levant. *Camphora*, atque medicamenta ex iis quæ cutem rubefaciunt, dolores leniunt quidem; ſed, ut ab uno artu migrent ad alium, efficiunt. *Veſicatoria*, niſi quoties uni artui pertinaciter inſideat dolor, nunquam admovenda ſunt. Si dolor inveteravit, et partibus artus profundiùs ſitis hæret, MONRO præclarus, fonticulum, partem dolentem quàm poſſit proximè, faciendum ſuadet.

A *fulmine electreo*, dum urget Rheumatiſmus Acutus, auxilium non petendum eſt. Ex enim pericli-

periclitatione de eo, in Valetudinario Upsalensi compluries facta, conſtat, ſcintillulas *electreas*, ex partibus laborantibus elicitas, dolores quidem levâſſe; ſed, haud multò pòſt, vertiginem, ventriculi ægritudinem, et graves abdominis dolores, ſuperveniſſe *.

Si quando, ut interdum accidit, Rheumatiſmus, relictis artubus, ullum ex viſceribus petat, et magnum periculum intentet; tum medicamenta, ex iis quæ cutem rubefaciunt, *ſinapiſmi* nempe, vel potius quæ eandem illico exulcerant, partibus, unde migraverit, primo quoque tempore imponenda ſunt; quippe cùm, Storkio celeberrimo teſtante, inflammationem in artus relictos brevì pòſt evocent, et ſigna viſceris laborantis periculoſa leniant.

* Van Swieten. *Comment.*

FINIS.